



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid & quotuplex sit unio beneficiorum, & quot modis fieri possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

lationem non inducat, si possit in alium sensum explicari.

SECTIO VI.

De Unione, & Divisione, seu sectione beneficiorum Ecclesiasticorum.

§. I.

Quid & quotuplex sit unio beneficiorum, & quot modis fieri possit?

UNio est duorum vel plurimum beneficiorum, aut Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio legitimo superiore facta annexio. Duplex autem illa esse potest. Primo ut sit unio perpetua, si in perpetuum scilicet, sive ut perpetuò duret, auctoritate legitimi Prælati hæc connexio fiat, in bonum potissimum Ecclesiarum. Secundò ut sit temporalis, si fiat scilicet ad certum tantum tempus in gratiam potissimum beneficiati, ad cuius fortassis vitæ tempus durabit. Utraque unio tribus modis fieri potest. Primo ut duo beneficia, vel plura, in unum quasi corpus distinctum coalescant, ut si ex duabus Ecclesiis Parochialibus, quarum tenues valde sunt redditus, una sit Ecclesia Parochialis tertia, ab utraque priore distincta, quæ tamen utriusque Ecclesie jura & privilegia, vel saltem favorabilia, si sint contraria, retinet. Hic tamen modus unionis non est in frequentu usu. Secundò fieri potest unio, si una Ecclesia, aut beneficium, alteri tanquam su-

periori, & velut accessorium Principali annexatur, ita ut beneficium in unum & accessoriè unitum, quasi extinguitur, & omnes qualitates, ac privilegia Principalis assumat, cui per Vicarium deserviat, ita ut non vacet per laicis Principali v.g. Rectore mortuo, vel amovendo neque per se permutari, aut resignari possit (quod enim extinctum est, quæ nomen, & titulum, illi nihil relationis convenire potest) sed facta collatione principalis, etiam hoc accessoriè unitum collatum habeatur. Tertio fieri potest unio, si duo beneficia, vel duæ Ecclesie cathedrales, duæ Ecclesie Parochiales &c. æque principaliter uniantur, ut ut ambæ propriam naturam, qualitates & privilegia retineant, & non alteri subjiçatur, sed utraque suum redditus suos redditus &c. retineat, sub rectorum nomine Rectore, prout habetur in c. de sede vacante &c.

§. II.

Quis potestatem habeat uniendo beneficia? & ob quas causas fieri possit, ac debeat?

Potestas uniendo beneficia tam in majoribus, quam in minoribus, & Ecclesiis quibusvis, inprimis ad Papam spectat, cui plena beneficiorum dispositio competit. Secundò potest unire Episcopus ex iusta causa Ecclesias, & beneficia in eadem Diocesi (c. Sicut 8. de excess. Prælati) modò sit unio talis perpetua, vel ad certum tantum tempus, si non sit unio temporaria, cum hæc uniones non sint uniones, quàm juris relaxationis, & non sint exempta beneficia, vel collationi Pontificie specialiter & perpetuo